

INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (42)

4.12.2.6. De initiis scholarum Benedictinarum in Africa Meridionali

Cum in fine anni 1921¹ Benedictinis Praefectura Apostolica Zululandiae tradita esset,¹ ibidem condiciones structurasque quadamtenus alias invēnērunt ac in Africā Orientali. Hōc scilicet spectabat quōque ad rem scholarem in illo territorio iam instructam.² Etiam si magna pars scholaris educationis scholis missionariis sustentabatur,³ régime tamen vim directoriam exercuit permissionibus dandis (vel non dandis), parvo auxilio pecuniario praebendo, inspectionibus exhibendis, regulis suis observandis.

Benedictinorum methodus, quā in operibus suis progredi solebant, artē cohaerebat - ut scimus - cum eruditione indigenarum et haec quidem sub variis aspectibus. Persuasionem suam, quam iam in Africā Orientali excoluerat atque adibuerat atque quā bona eruditio Africanorum et omnino necessaria erat et aditum ad Christianitatem dissipandam praebebat, episcopus Thomas Spreiter etiam in novā Praefecturā sive Vicariatū administrando ad effectum adducere in animo habuit. Sed antequam hanc quaestionem aggrederetur, primo generalem condicionem missionariam aliquatenus stabilire voluit.

Tamen res aliter evēnērunt. Nam satis celeriter post adventum Benedictinorum regionalis inspector scholarum nomine Dumbrell ad eosdem se convertit eis proponens, ut ipsi scholam intermediam,⁴ quae dicebatur et quae erat schola praeparatoria ad studia altiora sequentia atque etiam ad seminarium magistrorum erudiendorum, instituerent. Ille inspector, ut ipse rettulit, per decem annos missionarias Societates protestanticas ad talem scholam condendam instigare conatus erat, sed frustra. Spem suam tunc posuit in Bene-

1 *Cfr* supra cap. 4.10.1.1.1. - Uti iam commemoratum est, in fine anni 1923¹ Praefectura nonnullis locis aucta evecta est in Vicariatum Apostolicum Eshowe appellatum.

2 De hac re *cfr* ex.gr. Christine REHKLAU: Das Bildungswesen in Südafrika. In: Christel ADICK (ed.): *Bildungsentwicklungen und Schulsysteme in Afrika, Asien, Lateinamerika und Karibik*. Münster / New York / Berlin 2013, pp. 303 sqq.

3 In Africa Meridionali multae protestanticae Societates missionariae variarum denominationum operabantur, quae imprimis scholas elementarias duxerunt.

4 *Intermediate School*.

dictinos.⁵ Nihilominus Thomas Spreiter non statim huic proposito assensus est, sed aliquamdiu de possibilitatibus et de difficultatibus cohaerentibus deliberavit.⁶ Consultationes iniit cum Patribus suis, quid esset faciendum, sed etiam sententiam praesertim Sororum audire voluit, quia sine ipsis rem scholarem neque incohare neque sustentare valuisset.

Quaestio enim etiam erat principalis quaedam, nempe num Benedictini tales scholas suscipere et hunc in modum dependentiam quandam a regimine accipere vellent. Effectus horum colloquiorum denique erat in eo, ut conditionibus diligenter perpensis omnes existimarent tale institutum statim esse condendum. Causae vero, quibus Benedictini ad decretum suum adducti sunt, provēnērunt imprimis ex circumstantiis vigentibus. Nam nisi ipsi hanc scholam intermediam condidissent, una ex missionariis Societatibus protestanticis, quae in eodem districtū operabantur, hōc munus suscepissent. Huic conditioni praevenire voluerunt, quia aliter discipuli quōque catholici ad eruditionem intermediam accipiendam scholam protestanticam frequentare debuissent. Scholā autem intermediā Benedictinorum exstante omnibus discipulis, qui eruditionem intermediam desideraverunt, ea adeunda erat.⁷ Itaque episcopus Thomas Spreiter die 15^o m. Nov. a. 1922^o ad inspectorem scholarem Dumbrell scripsit affirmans Benedictinos scholam intermediam incohaturus esse.⁸

Etiam si res scholaris Benedictinis maxime cordi erat atque hac occasione utendum erat, bene sciverunt hōc initiō quadamtenus praecipitanter factō difficultates superandas esse. Etiam hōc in conexū iterum valebat problema iam notum de cooperatoribus deque pecuniā deficientibus. Sed id quod primo urgebat, erat aedificium scholare. Itaque domus, quam Fratres exstrui iam coeperant et quae monasterium fieri destinata erat, celeriter mutata est, ut

5 *Cfr* Thomas SPREITER: Tagebuch, 15.11.1922 (ASO, A.1.8.1); Thomae Spreiter epistula die 18 m. Nov. a. 1922 ad Fidelem v. Stotzingen directa (ASO, Z.3.01.4). - *Cfr* Godfrey SIEBER: The Benedictines of Inkamana. St. Ottilien 1995, p. 227.

6 In epistulā suā die 22 m. Oct. a. 1922 ad Fidelem v. Stotzingen datā (ASO, Z.3.01.4) Thomas Spreiter adhuc scripsit se propter penuriam pecuniae nullam scholam condere valere.

7 De his deliberationibus *cfr* Thomas SPREITER: Tagebuch, 15.11.1922 (ASO, A.1.8.1); epistula Thomae Spreiter die 18 m. Nov. a. 1922 ad Fidelem v. Stotzingen directa (ASO, Z.3.01.4); Chron. Inkam., m. Iul. a. 1923 - m. Dec. a. 1923.

8 *Cfr* Thomas SPREITER: Tagebuch, 15.11.1922 (ASO, A.1.8.1), ubi textum Anglicum huius epistulae exhibet.

indigentiis scholae serviret.⁹ Sic exortum est - et hōc quidem in tempore - aedificium vere simplex, sed solidum, quod postulatis quōque non minimis regiminis sufficebat.¹⁰



*Statio Inkamana superior anno 1925^o recepta.
A sinistris: ecclesia, aedificium rotundum, monasterium, schola.*

Tamen maximi momenti scilicet erant magistri sive magistrae. Itaque totum inceptum tantummodo eā de causā suscipi atque promoveri potuit, quia Benedictinae Sorores Tutzingenses ad auxilium ferendum atque cooperandum paratae erant. Nam Patres Fratresque hanc rem soli ad effectum adducere non valuissent. Accessit insuper condicio, quā in Africa Meridionali solum hominibus in scholis docere licuit, qui quaeve eruditione speciali acceptā publicum examen magistrale superaverant. Pauci quidem Patres in scholis institutionem exhibuerunt, sed maximam partem laborum docentiae Sorores susceperunt.¹¹


Cum ergo in fine mensis Ianuarii a. 1923ⁱ Soror Alfrida Dreher, quae in loco Marianhill examen magistrale superaverat ad Inkamanam perveniret, initio officiali scholae intermediae non iam quicquam obstitit. Nam éadem reddita est praeposita huius instituti et paucis diebus post eius adventum schola

9 Cfr Chron. Inkam., m. Iul. a. 1923 - m. Dec. a. 1923. Necessariam celeritatem agendi in schola exstruenda Thomas Spreiter etiam commemoravit in epistulā die 18 m. Nov. a. 1922 ad Fidelem v. Stotzingen missā (ASO, Z.3.01.4) et in epistulā die 27 m. Nov. a. 1922 ad Cardinalem Camillum Laurenti directā (ASO, Z.3.01.4). - De primo aedificio scholari cfr etiam Godfrey SIEBER (1995), p. 228.

10 Episcopus Thomas Spreiter hoc aedificium benedixit die 25 m. Febr. a. 1923. - Cfr Chron. Inkam., m. Iul. a. 1923 - m. Dec. a. 1923; Godfrey SIEBER (1995), p. 229.

11 Praeterea Sorores oecotrophēum puellarum duxerunt.

intermedia die 2^o m. Febr. a. 1923^o instaurabatur novo anno scholari incohante.¹²



*Prima classis scholae intermediae
anno 1923^o unā cum Sorore Alfrida Dreher recepta.*

Ad novam scholam intermediam frequentandam quindecim pueri puellaeque nomen dederant.¹³ Erant scilicet liberi, qui scholam elementariam iam superaverant. Mirum in modum erant plures puellae quam pueri. Sed sic satis bonum initium factum est. Cum autem esset unica schola intermedia in districtū, discipuli discipulaeque ex familiis maiore ex parte non catholicis

12 *Cfr* Chron. Inkam., m. Iul. a. 1923 - m. Dec. a. 1923; Godfrey SIEBER (1995), p. 229. - Hanc scholam intermediam institutam esse etiam breviter commemorant Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien ³1939, p. 87; Godfrey SIEBER: Die Ottilianer Eshowe-Mission. *In*: Leuchter 2 (²1992), p. 183.

13 *Cfr* Chron. Inkam., m. Iul. a. 1923 - m. Dec. a. 1923, ubi legitur fuisse quattuordecim liberos; initium cum quindecim liberis etiam commemorat Thomas Spreiter in epistolā suā die 22 m. Febr. a. 1923 ad Fidelem v. Stotzingen datā (ASO, Z.3.01.4). Ceterum episcopus his litteris se numero initiali discipulorum contentum esse scripsit, conamen ergo bene evenisse. - *Cfr* Godfrey SIEBER (1995), pp. 228 sq., qui quindecim liberos enumerat. Tamen in photographemate solum quattuordecim discipuli discipulaeque conspiciuntur. Fortasse discrepantia explicari potest inde, quod discipula quaedam nomen suum serius dedit.

exoriundi fuerunt.¹⁴ Classis initialis, quae primo anno instructa est, scilicet erat unica huius scholae. Sed iam secundo anno propter progressum factum altera classis sequebatur.



*Scholae intermediae classes quinta et sexta
anno 1925^o unā cum Sorore Alfrida Dreher receptae.*

Materiae, quae in scholā intermediā docebantur, generaliter curriculum publicum sequebantur. Tamen praeterea institutio religionis praebebatur et - quod erat specialitas Benedictinorum - labores manuales respiciebantur.¹⁵ Institutionem autem religionis omnes discipuli participaverunt, sed neque baptisma neque conversio expectabantur aut postulabantur.¹⁶ Nihilominus haec institutio discipulorum interfuisse videtur eosque multas quaestiones intellegentes posuisse, ut ex relatione episcopi Thomae Spreiter apparet, qui

14 Ut ex indice apparet, quem Godfrey SIEBER (1995), p. 229 exhibet, ex discipulis una erat catholica, duae paganae, alii aliaeque pertinebant ad varias denominationes protestanticas. - Ceterum ex eodem indice manifestatur illos iuvenes inter annum 1905^{um} et annum 1910^{um} natos fuisse.

15 Hic usus, quo discipuli iuxta ipsam scholam cottidie etiam manualiter operari debebant, non solum in omnibus Benedictinis scholis missionariis vigeat, sed etiam in seminario domestico.

16 Etiamsi interdum talis effectus erat. Tamen conversio solum sub condicione accipiebatur, quā parentes assensi sunt.

primo anno ipse hanc disciplinam docuerat.¹⁷

Ut scholam frequentare eis liceret, discipulis contributio pecuniaria solvenda erat.¹⁸ Quamvis éadem esset satis modica, nonnulli discipuli hanc pecuniam regulariter erogare non valebant. Illis autem possibilitas praebebatur, quā tempore feriarum laborando hanc pecuniam merebantur.



*Discipuli discipulaeque in agro operantur.
Unā cum F.re Gaudentio Bruch anno 1923º recepti.*

Iam die 2º m. Aug. a. 1923º contigit, ut etiam schola elementaria in statione Inkamana conderetur, in quā quōque imprimis Sorores docebant.¹⁹ In initio haec schola elementaria locum habuit in eodem aedificio ac schola intermedia, sed paulo post hi discipuli minores ad aliam domum transierunt. Tamen est condicio significans, quā in aedificiis scholaribus semper aliquid mutandum, restaurandum, amplificandum erat. Hōc non solum cohaerebat cum

17 Cfr Thomas Spreiter: Tagebuch, 12.2.1923 (ASO, A.1.8.1), qui ibidem de quaestionibus discipulorum rettulit et de difficultate suā tales res haud faciles linguā Anglicā explicandi. - Anno 1926º institutionem religionis praebuisse P.rem Theodosium Schall, P.rem Meinulfum Küsters et P.rem Iacobum Gerstner refertur. Cfr Chron. Inkam., m. Ian. a. 1926 - m. Iun. a. 1926.


18 Ut Godfrey SIEBER (1995), p. 229 refert, in initio solvendi erant sex penningi (*sixpence*) unoquoque mense.

19 De disciplinis, quae in singulis generibus scholarum docebantur, cfr ex.gr. Monika VORBACH: Ein Blick hinter südafrikanische Schulwände. In: Missionsblätter 34, 1930, pp. 6 sq.

circumstantiis aedificiorum, quae ex necessitate celeriter erigebantur, sed etiam cum numero discipulorum continuo crescente.²⁰

Revera scholae Inkamanianae optimum effectum exseruerunt. De anno scholari in annum scholarem numerus discipulorum in utrâque scholâ auctus est.²¹ Scilicet scholam elementariam plures discipuli frequentabant quam scholam intermediam. Sed etiam agebatur de qualitate scholarum, quae a re publicâ stricte observabantur. Sicuti mos erat, publici inspectores scholares compluries in anno vênērunt, ut scholas sub variis aspectibus inviserent.²² Semper vero optimam existimationem protulerunt, quae in relationibus scriptis quôque exhibebantur.²³

Praeterea discipuli in annuis examinibus regulariter vere bonum effectum monstraverunt.



Discipulae sub divo cantantes.

-
- 20 Alumnorum numerum continuo crescentem etiam cohaesisse cum Africanorum «fame eruditionis» iam explicuit Thomas SPREITER: Material zu Vorträgen über die Apostolische Präfektur Zululand (s.a.), p. 17 (ASO, Z.3.01.1). [Sub textū non indicatur, quando haec relatio scripta sit, sed ex ipsâ relatione apparet eandem mense Novembri a. 1923^o exaratam esse.]
- 21 In Chron. Inkam. inde ex anno 1924^o satis regulariter numerus discipulorum indicatur. Inde apparet anno 1926^o in summâ iam fuisse centum quadraginta discipuli discipulaeque et primo semianno 1929^o decursū temporis numerum ita auctum esse, ut essent in summâ centum nonaginta septem discipuli discipulaeque.
- 22 Mense Aprili a. 1928ⁱ etiam episcopus Arthurus Hinsley stationem Inkamanam eiusque scholas visitavit. Episcopus Hinsley ab Vaticano redditus erat delegatus atque inspector catholicarum scholarum missionariorum, quae in regionibus Africanis sub dicione Anglicae degentibus exstabant. Eum comitatus est ut secretarius P. Engelbertus Giersbach Ottilianus, qui in Angliâ diploma magisterii sibi acquisiverat et itaque ad hoc munus destinatus erat. Post visitationem Africae Meridionalis inspectores in Africam Orientalem se contulerunt. - *Cfr* Chron. Inkam., m. Ian. a. 1928 - m. Iun. a. 1928; Alois GILG: Besuch des Päpstlichen Delegaten. *In*: Missionsblätter 33, 1929, p. 20; Monika VORBACH: Ein Blick hinter südafrikanische Schulwände. *In*: Missionsblätter 34, 1930, pp. 8 sq.
- 23 *Cfr* Chron. Inkam. inde ex anno 1924 sqq.; similiter etiam Monika VORBACH: Ein Blick hinter südafrikanische Schulwände. *In*: Missionsblätter 34, 1930, p. 7. - *Cfr* Godfrey SIEBER (1995), p. 230; etiam Cyrillus WEHRMEISTER (†1939), p. 87 tales existimationes breviter commemorat.

Hic effectus tamen non ex benevolentia Benedictinorum provēnit, cum pensa examinum ex officiali centro regiminis ad omnes scholas mitteretur et deinde pensis expletis eadem ad diiudicandum iterum ad régime transferrentur.²⁴ Hunc in modum iudicium magis obiectivum atque comparabile exoriebatur.²⁵

Quod numerus alumnorum continuo auctus est, non solum sequelam habuit in scholarum aestimatione publicā, sed etiam in laboribus docendi exandandis et in pecuniā erogandā, quae ad scholam sustentandam necessaria erat. Maximam partem laborum susceperunt - uti iam dictum est - Sorores, sed decursū temporis etiam nonnulli Africani, id est et magistri et magistrae, in scholis Benedictinis docuerunt.²⁶ Tamen in initio erant pauci. Libenter Benedictini statim plures magistros magistrasque indigenas ad auxilium ferendum sibi acquisivissent, sed erat quaestio pecuniaria, cum illis hominibus salarium (etiamsi parvum) esset solvendum.

Effugium quoddam ex hac difficultate fuisset «suppeditamentum pecuniarium»,²⁷ quod régime scholis missionariis praebere potuit, si eadem curriculum publicum stricte sequebantur, si magistri magistraeque examinati docebant et si alumni ex probationibus publicis quoad scientiam sufficientes

24 De hōc modō progrediendi *cfr* ex.gr. Chron. Inkam., m. Ian. a. 1925 - m. Dec. a. 1925; m. Iun. a. 1927 - m. Dec. a. 1927; m. Ian. a. 1929 - m. Iun. a. 1929.

25 Adnotatio quaedam critica systematis invenitur ex.gr. in Chron. Inkam., m. Iul. a. 1926 - m. Dec. a. 1926. Ibīdem legitur nonnullos discipulos classium inferiorum probationem annuam non superavisse. Tamen causa non erat in mancā scientiā liberorum, sed in eo, quod obligatorius numerus dierum, quibus in schola adesse debuissent, non suffecerat. Chronista talem modum appellavit grapheocratismum meridionali-Africanum. Et subiunxit illos discipulos impeditos fuisse, quominus scholam adirent, quia apud possessorem alicuius praedii laborem suum coactivum exhibere debuissent.

26 Etiam magistri Africani eruditionem docendi atque magisterii examen publicum habere debuerunt. - Primae duae Africanae magistrae scholae Inkamanianae commemorantur anno 1924/25, quae in scholā elementariā docentes tamen labores non sufficientes praebuerunt atque iterum dimittendae erant (*cfr* Chron. Inkam., m. Iun. a. 1924 - m. Ian. a. 1925). Deinde refertur magistrum Africanum inde a die 7^o m. Mart. a. 1927^o in scholā docere, de quo Benedictini contenti erant (*cfr* Chron., Inkam. m. Ian. a. 1927 - m. Iun. a. 1927; m. Iul. a. 1927 - m. Dec. a. 1927). - Iam die 22 m. Febr. a. 1923 Thomas Spreiter in epistolā ad Fidelem v. Stotzingen directā (ASO, Z.3.01.4) scripsit se aliquando magistram Africanam ad auxilium ferendum accire velle, sed in praesenti pecuniam deesse.

27 «*School Grant*», ut dicebatur.

exierunt.²⁸ Benedictini pro scholis suis tale suppeditamentum diutius non acceperunt, quamquam postulata expleverunt et quamquam quadamtenus promissum erat.²⁹ Anno 1926^o scholae in statione Inkamana sitae a regimine agnitae sunt³⁰ et denique inde ex anno 1928^o suppeditamentum pecuniarium illis scholis contributum est.³¹

Tamen praeter illas scholas etiam aliae res breviter commemorandae sunt. Nam in statione Inkamana - sicuti in Benedictinis stationibus missionariis esse solebat - etiam opificinae variae exstabant. Ibīdem nonnulli discipuli



Tirones in opificina lignaria stationis Inkamana operantes.

opera sua manualia, quae generaliter postulabantur, exhibuerunt. Sed etiam veri tirones in illis opificinis munus quoddam opificis addidicerunt.³² Cum

28 Cfr ex.gr. Thomas SPREITER: Material zu Vorträgen (s.a. [1923]), p. 14 (ASO, Z.3.0.1.1). - Cfr ex.gr. etiam Christine REHKLAU: Das Bildungswesen in Südafrika. In: Christel ADICK (ed.) (2013), p. 306.

29 Thomas Spreiter: Tagebuch, 4.12.1922 (ASO, A.1.8.1) adhuc commemoravit inspectorem scholarem Dumbrell nuntio de fundatione scholae intermediae accepto scripsisse auxilium pecuniarium anno insequente nondum praeberi posse. Sed in Chron. Inkam., m. Iun. a. 1924 - m. Iun. a. 1925 legitur régime, quamvis promississet, suppeditamentum pecuniarium non dedisse. Similiter Chron. Inkam., m. Iul. a. 1925 - m. Dec. a. 1925.

30 Cfr Monika VORBACH: Ein Blick hinter südafrikanische Schulwände. In: Missionsblätter 34, 1930, p. 7; Godfrey SIEBER (1995), p. 230 sq.

31 Cfr Godfrey SIEBER (1995), p. 231.

32 Anno 1924/25 refertur fuisse sex tirones Africani in opificina lignaria et septem tirones Africani in opificina sutoria. Cfr Chron. Inkam., m. Iun. a. 1924 - m. Iun. a. 1925.

vero paulatim satis multi iuvenes nomen ad scholam Inkamanianam dedissent, qui attracti erant possibilitate, quā iuxta ipsam institutionem scholarem opificium quoddam addiscere possent, Benedictini putaverunt se talibus condicionibus ad scholam opificum condendam urgeri.³³ Itaque hōc revera factum est. In initio autem tirones post antemeridianam institutionem scholarem tantummodo postmeridiano tempore per duas horas operabantur. Denique de alio incepto speciali atque novo breviter aliquid dicendum est. Nam scholam adire atque aliquid addiscere etiam virorum iuvenum intererat, qui inter viginti et viginti quinque annos nati erant. Iidem desiderio suo ad Benedictinos se converterant. Tamen illi aetate nimis «profecti» erant, ut normalem institutionem scholarem participarent. Itaque Benedictini aliam solutionem invēnērunt. Ut horum iuvenum desiderio discendi saltem aliquatenus satisfacerent, die 7^o m. Mart. a. 1927^o «schola vespertina» condita est.³⁴ Sic illi iuvenes interdum in agriculturā cooperabantur et vespere scholam specialem adierunt. Cum vero Sorores in ipsis scholis curandis satis multum haberent faciendum, institutiones in «scholā vespertinā» praebebant apti tirones opificinae sutoriae atque opificinae ferrariae, qui classem sextam iam superaverant. Certe non erat instructio maxime sublimis, sed hunc in modum illi iuvenes saltem aliquā eruditione scholari praediti sunt. Haec «schola vespertina» videtur nonnullos annos bene operata esse.

Sed quod attinebat ad scopos methodumque missionis Benedictinae, scholas in ipsā statione Inkamana excolere non sufficebat. Erat enim in votis totā in Praefecturā sive Vicariatū quam plurimas scholas elementarias aliis in stationibus atque extra easdem quōque condere et rete scholare exstruere. Tamen hōc in propositō plures difficultates iterum iterumque superandae erant. Problemata quaedam hac in re cohaerebant cum systemate regiminis Anglici.³⁵ Nam intra territoria indiginis reservata missionibus fundum emere

33 Scholam opificum breviter commemorant Cyrillus WEHRMEISTER (³1939), p. 87; Godfrey SIEBER: Die Ottilianer Eshowe-Mission. In : Leuchter 2 (²1992), p. 184. - Chron. Inkam., m. Ian. a. 1928 - m. Iun. 1928 refertur inspectorem scholarem suasisse, ut Benedictini petitionem regimini mitterent, quā rogarent, ut praepositi opificinarum ut magistri opificum erudiendorum officialiter agnoscerentur et ut schola opificum publicam contributionem pecuniariam acciperet.

34 *Cfr* Chron. Inkam., m. Ian. a. 1927 - m. Iun. a. 1927.

35 *Cfr* ex.gr. Thomae Spreiter epistula die 27 m. Nov. a. 1922 ad Cardinalem Camillum Laurenti directa (ASO, Z.3.01.4); Chron. Inkam., m. Iun. a. 1924 - m. Iun. a. 1925; Thomas SPREITER: Material zu Vorträgen (s.a. [1923]), p. 11 (ASO, Z.3.01.1); Godfrey SIEBER: Die Ottilianer Eshowe-Mission. In : Leuchter 2 (²1992), p. 183; Godfrey SIEBER

atque possidere non licuit, solum eundem conducere potuerunt. Talis condicio missionariis erat inopportuna. Praeterea fundum aliis locis emere erat conamen haud facile atque insuper diuturnum, cum talia a pluribus variisque institutionibus publicis erant comprobanda. Huiusmodi condiciones non solum ad stationes missionarias, sed etiam ad scholas condendas effectum exseruerunt. Schola quaedam elementaria condi quōque potuit in praedio alicuius Europaei. Sed ad foundationem scilicet permissio possessoris necessaria erat. Tamen permissionem sibi acquirere saepe non ita facilis erat. Insuper sive praedii possessore alio novoque sive solum sensū possessoris mutato permissio retrahi potuit, ita ut schola dissolvenda esset. Respicendum etiam erat, quod intra territoria indigenis reservata statio quaedam missionaria atque schola minimum quinque chiliometris ab aliis huiusmodi institutionibus distare debuit. His omnibus condicionibus perpensis possibilitates valde angustatae erant. Haec omnia videntur consulto sic disposita fuisse, quia illo tempore multi Europaei Africae Meridionalis eruditionem Africanorum non aestimaverunt, cum timerent, ne indigenis bene eruditus famulos famulasque viles amitterent, aemulatio oeconomica fieret, eversio fieret politica et sic porro.

Tamen Benedictini in conaminibus suis non destiterunt et hōc quidem cum effectū quōdam. Sed quo plures scholas elementarias condere eis contigit, eo magis aliud problema exortum est. Nam schola nihil valet sine magistris. Sorores autem labores scholares magis magisque auctos solae vix sustentare valuerunt. Itaque etiam magistris indigenis maiore numero erat maxime opus. Hac in re praeter quaestionem pecuniariam annis initialibus erat difficultas quōque, cum sufficiens copia talium magistrorum examinatorum non exstaret.³⁶ Nihilominus patientiā atque perseverantiā solitā et plurimis laboribus susceptis contigit, ut rete scholarum valde extenderetur.³⁷

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 216, 2019, pp. 187-197]

(1995), pp. 86 sq.; Christine REHKLAU: Das Bildungswesen in Südafrika. In: Christel ADICK (ed.) (2013), p. 306.

36 Itaque episcopus Thomas Spreiter conatus est instituere «Scholam Catholicam Magistrorum Erudiendorum». Sed tale institutum denique multis annis post initium cepit.

37 Godfrey SIEBER (1995), p. 244 refert inter annos 1922^{um} et 1936^{um} sexaginta unam elementarias scholas Benedictinas esse conditas.